

COELESTIS GLOBI COMPOSITIO:

per singula puncta Zodiaci, secundum datam AC quantitatem describantur ex singulis gradibus, in reliquis uero eodem modo agetur, sicut iam paulo ante dictum est. Postea parabitur e solida materia orbis meridianus, qui in 360. partes æquales diuidatur, numerorum series ab æquatore in polos usq; procedat, & poli quidem polis globi ita affigentur, ut circa eos globus libere moueri possit, quod fiet, ubi circa polos meridianus orbiculos habeat, sicut lineæ fiduciales, & per horum centra, quæ cum latere meridiani in una recta sunt, axis exeat. Paretur deinde circulus horarum ex simili materia, qui in partes 24 æquales secetur, is ita affigatur meridiano, ut huius meridiana in unam quasi cum meridiano rectam exeat, & ex polo uolubilis egrediatur index. Præparetur deinde sedes cum horizonte, qui in 360. partes diuidatur, habeatq; duplicem numerorum ordinem, unum qui in meridiano & septentrione incipiat, & desinat in exortu & occasu, alterum uero qui in linea exortus occasusq; in utramq; partem procedat. Ortus autem erit in dextra, occasus uero in sinistra parte. Hic itaq; circa meridiem & septentrionem cauetur ut dimidius globus superiorem partem, alter uero inferiorem præcisè obtineat. Meridiani quoque supra terram est, mediætas, tria uoluella habeat, quorum bina sint in contactu Horizontis & Meridiani, tertium uero in Zenith caputem, & uoluellis circa Horizontem aptetur circulus positionum, qui sit armilla semicircularis, ac à Zenith caputem descendat quadrans circuli usq; in horizontem, qui erit quarta altitudinum, hæc in 90 partes æqualis secabitur, duplici numerorum serie assignata.

Sequitur Tabula stellarum fixarum.

Tabula

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]